



Rubr. XVIII. Nro. 25. C.

**Gymnasial - Bibliothek**

zu Cöthen.

- 2) Jo. Jac. Quandt de Pontificis Maximi Suffraganeo, L. A. 1708.  
 3) Dan. Frid. Janus de Vite aurea Templi Hierosolymitani, L. A. 1706. —  
 4) Jo. Christoph. Othlobii Samuel Judex et Propheta, non Pontifex aut sacerdos sacrificans, L. A. 1717.  
 7) Jos. Henr. Opitius de Jeremia, inter Prophetas Majores primo, L. A. 1704.  
 5) Jo. Oldermann de Regione Ophir, H. A. 1714.  
 6) H. de Mari Asphaltite, H. A. 1712.  
 7) Jo. Georg. Michaelis Disq. II. de Victimarum corde, ad altare Domini non adducendo, F. A. 1720.  
 8) G. de Victimarum corde et cerebro, F.  
 9) Jo. Huld. Heydenus de Moysi resurrectione, H. A. 1723. —  
 10) Com. J. Kenii Disq. II. de duobus Panibus Pentecostalibus, B. A. 1729. et 30.  
 11) Alb. Schumacherus de Cemoscho, Moabitatum idolo, Br. A. 1730.  
 12) Theod. Daxorius ad titulum Celim, V. A. 1714.  
 13) Christ. Gottl. Schwartz de antiquo ritu elevandi Principes inaugurandos, A. A. 1730.  
 14) Jo. Simonis de מִיֶּשֶׁבֵי יְרֵחוֹ אֲשֶׁר בְּיַד יְרֵחוֹ H. A. 1731. —  
 15) Em. Frid. Neubaueri Disq. II. de Michaele Archangelo, H. A. 1732. —  
 16) Ruardus Andala de Siculo, F. A. 1717.  
 17) Com. J. Ken de Marah, B. A. 1732. —  
 18) Jo. Zach. Hilliger de Psalmorum, Hymnorum atque Odarum Sacrarum de Jerimine, V. A. 1720. —  
 19) Gottl. Frid. Gudius de sensu Oculi Salomonis, Cohelethi v. 7. L. A. 1723.  
 20) Jo. Henr. Michaelis Historia lingua Arabica, H. A. 1731. —  
 21) Gottl. Wernsdorffius de Davide ἀποπαύω, V. A. 1717.  
 22) Jo. Andr. Dantz de Caino contra necem praemunito, F. A. 1732. —  
 23) Henr. Em. Kestner de furto prudentia Regis Davidis, F. A. 1730.  
 24) Theod. Hajeus de Jechurune, Br. A. 1730.  
 25) Sam. Andrea de Salute Adami, M. A. 1678. —  
 26) Franc. Wokenius de Esthere cum Ahasvero conjugio, V. A. 1729.  
 27) Jo. Joach. Lange de Therapeutis, H. A. 1721. —  
 28) Christoph. Sonntagius de salute trium uacorum, Kothi, Jobi, et Pilati, L. A. 1707.  
 29) Christ. Bonel. Michaelis Prolegomena in Jeremiam, H. A. 1733. —  
 30) Franc. Fabricius de Propetia Noachi Lugd. A. 1726. —  
 31) Gottl. Keyfoltz de parte dupla Spiritus Elia, L. A. 1733.  
 32) Franc. Wokenius in Cantici Canticum posteriora Capita, V. A. 1729.  
 33) H. de Templo, Cadaveribus Regum non inquinando, V. A. 1732. —  
 34) Jo. Godefr. Unger de Papyri fructu, L. A. 1731.  
 35) Em. Frid. Neubauer de Copione Moysi, H. A. 1732. —  
 36) H. de Angelo mortis, H. A. 1732. —  
 37) Petr. Zornii Historia Thebarum, Sedim A. 1707.  
 38) Jo. Christ. Nimpfisch de Ammonitis, a Davide absque crudelitate sub jugum missis, L. A. 1731. —

- 39) Jo. Andr. Dantz de Davidis in Ammonitas mitigata crudelitate, J. A. 1710.
- 40) Jo. Chr. Soph. Wichmanns hauser de פ"י ג"ד, V. A. 1713.
- 41) Georg. Mich. Doedertinus de Condelabris Judaeorum Sacris, V. A. 1712.
- 42) Jo. Ad. Quafius de voce ש"ך, L. A. 1711.
- 43) Com. Hafeus de Myfterio Jobelai Israë licti, Pr. A. 1700.
- 44) Jo. Dan. Cramerus de renibus animalium, præcipuis sacrificiorum partibus, J. A. 1714.
- 45) Jon. Com. Schramm de Saulis autothecia et fahis extremis, H. A. 1700.
- 46) Seb. Schmidt de Didrachmis, a Christo solutis, A. A. 1730.
- 47) ~~Jo. Christoph. Klemm de Numis Hebraeorum, F. A. 1750.~~
- 48) Mich. Siebentantz de Dudaim, V. A. 1719.
- 49) Jo. Georg. Michäelis de in cifra propter mortuos, F. A. 1733.
- 50) Christ. Bened. Michäelis de Vocum semini bus, H. A. 1717.
- 51) — Andr. Murray de Kinais, J. A. 1717.
- 52) — Alb. Schumacherus de grana ab altari sumta, B. A. 1730.
- 53) Theoph. Siegf. Bayerus de Inscriptionibus Judaeorum Graecis et Latinis, R. A. 1721.
- 54) Henr. Jac. van Baskuyzen de manipulo hordeaceo, L. A. 1734.
- 55) — Gust. Georg. Zehnerus de horologia Plati, A. A. 1724.
- 56) Jo. Dan. Kieseling de Dialectis tribuum Juda, Ephraim et Benjamin, L. A. 1714.
- 57) — Leonh. Hoffmannus de singulari Hebraeorum cura sepeliendi mortuos, J. A. 1727.
- 58) — Christ. Bened. Michäelis de Antiquis pima plurimorum historia, H. A. 1733.

EXERCITATIONIS PHILOLOGICAE  
DE  
VICTIMARVM  
CORDE AD ALTA-  
RE DOMINI NON  
ADDVCENDO

SECT. II.

QVAM  
FAVENTE PROPITIO NUMINE  
IN  
ALMA VIADRINA  
PRAESES

JO. GEORG. MICHAELIS,

Phil. Prof. Publ. V. D. M. Rector item Scholæ  
Reg. Frideric.

&

RESPONDENS

JO. HENRICVS RÜBENER,

Berol. Meso-Marchicus, S. S. Theol. Cultor.

IN AVDITORIO MAJORI

ad d. XXIII. Maji A. C. 1760 CCXXX.

placidæ *συμφιλολογωντων* disquisitioni submitunt.

---

FRANCOFVRTI AD VIADRVN,  
Litteris Viduæ JOHANNIS CHRISTOPHORI SCHWARTZII.



EXERCITATIONIS PHILOSOPHICAE

VICTIMARVM

CORDE AD ALTA-

RE DOMINI NON

ADDVOCENDO

SECT. II.

QVI

FAVENTE PROPITIO NVMINE

ALMA VIADINA

TRAESES

IO. GEORG. MICHAELE

WILHELM. V. D. M. REG. OR. SCHOLAE

RESPONDENS

RESPONDENS

JOHANNES VITRARIUS

ALMA VIADINA

MDCCXXX

ALMA VIADINA

ALMA VIADINA



REVERENDISSIMO, ILLUSTRISSIMO AT-  
QUE EXCELLENTISSIMO VIRO,

DOMINO  
DN. FRIDERICO  
ERNESTO,

LIBERO BARONI

ab IN & CNYPHAVSEN,

POTENTISSIMI BORUSSORVM RE-

GIS MINISTRO STATUS INTIMO,

ORDINIS JOANNITICI EQVITI ET COM-

MENDATORI IN LIETZEN,

CONSISTORII, RERVMOVE ECCLESIASTI-

CARVM PRAESIDI AC DIRECTORI

GRAVISSIMO,

NEC NON

REGIARVM ACADEMIARVM OMNIVM, atque

ILLVSTRIS GYMNASII JOACHIMICI

CVRATORI AC DIRECTORI

SVPREMO,

PATRONO AC MECAENATI OMNI PIETA-

TIS CVLTV AETERNVM COLENDO.



VT ET  
VIRIS

*SVMME VENERANDIS, EXCELLENTISSIMIS  
ac ERYDITISSIMIS,*

DN. DANIELI ERNE-  
STO JABLONSKI,

S. S. Theol. Doct. Celeberrimo, Augustissi-  
mo Borufforum Regi a Concionibus Sacris, Ecclesi-  
arum Reformatarum per Maiorem Poloniam & Bo-  
ruffiam Seniori ac Antistiti Venerabili admodum,  
Consistorii, itemque Consilii Ecclesiastici Mem-  
bro Dignissimo ac Reg. Soc. Scient. Di-  
rectori Grauiissimo,

DN. JOANNI ARNOL-  
DO NOLTENIO,

S. S. Theol. Doct. Celeberrimo, Augustissi-  
mo Boruffiæ Regi a concionibus sacris.

FAVTOIBVS ac PATRONIS SVIS MVLTIS  
NOMINIBVS SVSPICIENDIS

Hanc Dissertationem in signum  
gratissimi animi, sui que ac stu-  
diorum suorum commendatio-  
nem, facram facit

PRAESES.







EXERCITATIONIS  
DE  
VICTIMARVM CORDE AD ALTARE DO-  
MINI NON ADDVCENDO  
CONSPECTVS.

§. I.



Quodnam discrimen inter sacri-  
ficia pro peccato, pro reatu,  
itemque pacifica intercesse-  
rit. §. II. Quæ partes sacri-  
ficii pro peccato igne in altari  
fuerint absumptæ. §. III. Inter  
partes sacrificii piacularis, in altari adolendas,  
COR locum non inuenisse. Illustratur locus  
Deut. XVIII. 3. §. IV. Quædam tamen ex sacri-  
ficiis piacularibus integra fuisse combusta, quo-  
rum sanguis in ipsum templum inferebatur. §.  
V. Nec in sacrificiis pro reatu COR offerebatur,  
sed illæ tantum partes, quæ in sacrificio piacu-  
lari altari sacræ erant. §. VI. Aberat etiam a  
sacrificiis eucharisticis, siue pacificis. §. VII.  
A Num

Num COR in quibusdam sacrificiis, facta inci-  
sura, extractum ac seorsum combustum fuerit?  
§. VIII. Victimarum exta etiam profanæ gen-  
tes offerebant, deos suos placaturæ. §. IX. *Ανα-  
κεφαλαίωσις* ante dictorum instituitur & quibus-  
dam doctorum virorum testimoniis comproba-  
tur. §. X. Fundamenta rationum, quare COR  
quibusdam sacrificiis adfuerit, ab aliis vero ab-  
fuerit, præstruuntur. §. XI. In holocausto cum  
reliquis partibus victimæ COR cremabatur (1)  
quia erāt typus perfectissimi sacrificii Christi,  
qui & anima & corpore se patri suo obtulit.  
§. XII. (2) Quia illi, qui per Christum ad deum  
accedunt, peccatorum sordibus debent perpur-  
gari. Lux adfunditur loco Hof. XIV. 3. §. XIII.  
(N) COR a sacrificiis piacularibus, pro reatu,  
itemque pacificis aberat, (1) quo credentes ad-  
monerentur, cultum hunc suum non esse λογικόν,  
(2) vitam longe perfectiorem requiri, vt vitæ  
divinæ participes redderentur, (3) quia COR  
est fons atque scaturigo omnis impuritatis. §.  
XIV. (2) COR remouebatur, quo sacrificantes  
monerentur, (α) veterem hominem deponendum,  
(β) nouum induendum, (γ) hominem in cultu di-  
uino a dei nutu ac voluntate vnice pendere. §.  
XV. (3) Quia Christus nostram stultitiam in se  
suscepit, cumque fiducia ad deum adpropin-  
quauit. §. XVI. *Αποδείξις.*

§. I.

**C**onsiderauimus §. 1. illa sacrificia, quæ integra igne sunt absumta, in quibusque COR-  
 vna cum CAPITE fuit oblatum. Sed alia res  
 erat cum חטאת / שם & שלמים sacrificiis pro  
 peccato, pro reatu & pacificis, in quibus aliæ partes  
 ad altare deferebantur, aliæ ab eodem abesse iuebantur;  
 eadēque illæ vel sacerdotibus, vel offerentibus accidebant.  
 De tribus hisce sacrificiorum generibus ita differit ABAR-  
 BANEL: חלק מהם נשרף על גבי המזבח, וחלק מהם /  
 נאכל לכהנים / והשאר כלו נאכל לבעלים. ואמנם בחטאת  
 ובאשם לא היה רכר מהם נאכל לבעלים / אלא קצתם על  
 חטאת / וקצתם נאכל לכהנים /  
*comburebatur in altari, pars comedebatur a sacerdotibus, quod vero re-  
 liquum erat, id omne ab offerentibus absumebatur. Verum de sacri-  
 ficio piaculari & pro reatu nil quidquam comedebatur a sacrificantibus,  
 sed illorum pars aliqua in altari comburebatur, pars sacerdotibus in ci-  
 bium cedebat (1). Sacrificiorum piacularium, itemque pro  
 reatu vna eademque ratio Leu. VII. 7. Quare PHILO  
 non distinctum a piacularibus sacrificiis locum concedit  
 illis, quæ pro reatu offeruntur, sed omnia sacrificia re-  
 uocat ad ὀλοκαυτον, σωτηριον & περι ἀμαρτίας (2). Inter il-  
 la quippe, quod victimæ partes spectat, quæ in altari ac-  
 censæ, quæ item sacerdotibus sunt assignatæ, nullum om-  
 nino discrimen intercessit: differebant ratione peccati,  
 cuius ergo adparabantur. Sacrificium piaculare mactaba-  
 tur propter peccatum & illud quidem manifestum, sed per  
 errorem admissum Leu. IV. 2. 13. 14. 22. 23. 27. 28. pro reatu  
 vero, vbi is, qui offerebat, in dubio versabatur, num hoc  
 vel illo modo peccato se maculasset. Hoc tamen obser-  
 uandum, sacrificia pro reatu alia fuisse in re manifesta, v-  
 bi sc. post admissum peccatum crimen innotescebat Leu.  
 V. 3. 4. alia in re dubia & obscura Leu. V. 17. 18. Prioris ge-  
 neris*

A 2

(1) præf. Leuit. præm. p. m. 184. col. 2. (2) de victim. p. 837.

neris sacrificium Talmudicis dicitur **אשם וראי** / posterioris **הלוי אשם** / de quibus prolixius commentantur LIGHT-FOOTVS (3), OVTRAMVS (4) & AINSWORTHVS (5). Vtrisque & piacularibus & pro reatu manus imponebantur, simulque peccatorum edebatur confessio, quam his conceptam fuisse verbis perhibet MAIMONIDES: **חטאתי עויתי פשעתי ועשיתי כן וכך וחזרת בתשובה לפניך חו כפרתי** *peccavi, peruerse egi, defeci, & feci hoc vel illo modo: sed redeo cum penitentia in tui conspectum & hoc sit expiatio mea* (6). Eadem quidem manuum impositio in pacificis obtinebat **Leu. III. 2. 8. 13.** Sed vero quoniam hæc non tam ad peccata expianda, quam quidem gratitudinis ob accepta beneficia testandæ ergo sistebantur: cum impositione manuum peccatorum confessio coniuncta fuisse non videtur. Quare a vero non omnino est alienum, quod MAIMONIDES coniicit: **וראה לי שמינו מתורה על השלמים** & *quidem videtur mihi, quod nulla super pacifica edita fuerit peccatorum confessio, sed (offerens) prolocutus fuerit verba laudis & gratiarum actionis, c. l.*

§. 2.

Sed enim tractationis nostræ ordo postulat, vt ad specialiora descendamus, dispiciamusque, num inter partes oblatas COR locum aliquem occupauerit. Sacrificia pro peccato **חטאות** / a peccatis eluendis, expungendisque, interprete KIMCHIO, dicta, locum habebant in peccatis, iisque manifestis per errorem contra præceptum negatiuum admissis **Leu. IV. 2. 13. 22. 27.** Hinc ABARBANEL optime monet: **והתורה לא חייבה להקריב חטאת** *lex neminem obstringit ad sacrificium piacularare, nisi qui præceptum negatiuum fuerit transgressus* (7). Vt autem holocausta solis victimis masculis

(3) de min. templ. c. VIII. Sect. II. p. 708-710. (4) de sacrif. c. XIII. p. 125. seqq. (5) ad Leu. V. 18. (6) Hilch. Korb. c. III. §. 15. (7) præf. Leu. p. 183. col. 2. conf. p. 184. col. 2.

lis constabant; ita in piacularibus nullum sexus discrimen obseruabatur. Ita tamen, vt in sacrificiis pro P. M. integro catu (per quem synedrium magnum intelligunt magistri), itemque *principe* masculus adhiberetur Leu. IV. 4. 14. 23. qua in re dignitatis aliquam rationem habitam fuisse, Judæorum sciscunt doctores. In reliquis, quæ pro sacerdote gregario, *Leuita*, vel quocumque Israëlita instruebantur, non item, in quibus officio suo fecerat satis, qui femellam mactauerat Leu. IV. 28. Victimæ partes aliæ in ara adolebantur, aliæ sacerdotibus in victum dabantur: priores magistris מִמֹּרִים dicitantur, quo nomine omnes hostiarum partes veniunt, quæ aræ imponebantur, accendebanturque. Censente quippe MAIMONIDE: הַיְכָרֹס שְׂשׂוּרֵיפִין אֹתוֹן עַל גְּבִי הַמִּזְבֵּחַ מִן הַחֲטָאוֹת הַנֹּאכְלוֹת וּמִן הָאֲשֵׁמוֹת וּמִן הַשְּׁלָמִים הֵם הַנִּקְרָאִין אִמֹּרִין *membra, quæ in altari ex sacrificiis piacularibus accendebantur, quorum pars aliqua sacerdotibus præbebat epulas, & ex sacrificiis pro reatu, item pacificis, illa dicuntur אִמֹּרִין* (8). Vbi igitur sacerdos sanguinem sacrificii piacularis altari adsperisset, & quidquid huius reliquum erat, ad eiusdem solum effudisset, omnem adipem cum duobus renibus & lobo hepatis, vt in sacrificiis eucharisticis, igne in altari concremabant; idque tum in sacrificio principis, tum priuati hominis locum habebat Leu. IV. 26. 35. Adipem, tanquam optima pecudis, deus aræ destinauerat Leu. III. 16. VIII. 25. Hinc omnis adeps, qui intestinis adharebat, quique renes vestiebat, eximebatur, vnaque cum renibus & aliqua hepatis parte ad altare deferebatur, comburebaturque. יִתְרַת עַל הַכֹּבֵד quam locutionem non eodem modo omnes accipiunt, *partem quandam iecoris commodissime designare posse iudicamus, adeo vt illud על idem significet quod אֵם* vt sic pars aliqua iecoris amputata, cumque reliquis ablegminibus in altari combusta fuerit. Accedit, quod etiam יִתְרַת מִן הַכֹּבֵד Leu. IX. 10. legatur,

A 3

vt

(8) Hileb. Korb. c. I. §. 18.

vt sic יתרת quod tollitur ab hepate, hepatis pars esse de-  
 beat. Habemus consentientes nobis R. ISACIDEM (9),  
 KIMCHIVM (10), R. SAL. BEN MELECH (11). In hac ipsa  
 sententia fuit ALEXANDRINVS interpres, qui nominat  
 τον λοβον τον επι τῆ ἡπατ. Leu. III. 4. λοβον τῆ ἡπατ. c.  
 IX. 10. quem sequuntur JOSEPHVS & PHILO. Quorum  
 ille partes sacrificii piacularis offerendas sic describit:  
 τῆς νεφροῦ καὶ τον ἐπιπλευν καὶ πνεῖα τῆ πνεύμα, συν τῷ λοβῷ τῆ  
 ἡπατ. καὶ συν αὐτοῖς την ἄραν τῆ ἀρν. ἐπιφερῶσι τῷ βωμῷ. τα  
 δε σηθ. καὶ την κνημην την δεξίαν τοῖς ἱερεῦσι παραχθόντες (12).  
 In adspargendo sanguine ac deglubenda cute sacerdo-  
 tem hunc fere ordinem obseruasse, tradit MAIMONIDES:  
 כל הזבחים מקטירין אמוריהן על גבי המזבח אחר שזורקין  
 הדם תחילה. וכל הזבחים מפשיטין אותן ואחר כך מציאין  
 ארס אמוריהן ואין מפשיטין אותן עד שזורק הדם חוץ  
 מהחטאת הנשרפת שאינן מפשיטין אותם כלל שנאמר את  
 כשרם omnium sacrificiorum dissectas partes adolent in  
 altari, ubi primum sparserunt sanguinem. Porro omnia sacrificia ex-  
 coriant prius, quam eximunt partes adolendas. Nec tamen cutem de-  
 trahunt ipsis, usque dum sparsus fuerit sanguis, exceptis piacularibus  
 comburendis, qua plane non excoriant, quia dicitur: & cutem illo-  
 rum & carnem comburatis (Leu. IV. 11.) extra castra. Ser-  
 mo est de illis sacrificiis, quæ integra extra castra com-  
 burebantur, de quibus §. IV. agemus. Partes autem,  
 quæ in sacrificiis piacularibus, itemque pro reatu & pa-  
 cificis (quorum omnium hac in parte eadem ratio) se-  
 quentem in modum enumerat: ואלו הן האימורין שר  
 שור או של עזתחלב אשר על הקרב ובכללו חלב שעל גבי  
 הקבצה ושתי הכליות וחלב שעליהן עם החלב אשר על  
 הכסלים ויותרת הכבד ונוטל מן הכבד מעט היותרת ואם היה  
 הקרבן ממין הכבשים מוסיף על ארו האלו המימה עם  
 החליות מן השדרה עד מקום הכליות שנאמר לעומת העצה  
 יסורכה וכל האימורין נשרפין על מזבח החיצון. *Ha sunt partes*  
*adolen-*

(9) ad Leu. III. (10) libr. rad. p. 215. (11) ad Leu. III. 4.  
 (12) Ant. Jud., L. III. c. X. p. 91.

adolenda bouis aut hœdi, adeps. qui regit intestina & generatim adeps, qui est super intestina & duo renes & adeps, quo reguntur, vna cum adipe, qui est supra lumbos, & lobus hepatis, quippe tollit aliquid de hepate. Sed si fuerit sacrificium ex ouibus, illis addit caudam integram cum vertebra spina dorsi vsque ad renes, nam dicitur: iuxta spinam dorsi diuellat ipsam (Leu. III. 9.), quæ partes omnes comburuntur in altari exteriori c. I. §. XVIII. Paria cum his habet ABARBANEL (13), sed quæ prolixitatis vitandæ ergo consulto prætermitto.

§. 3.

Inter illas igitur partes, quæ in altari igni dabantur, nulla omnino cordis fit mentio, vnde consecutionis lege sequitur, COR in sacrificiis piacularibus ab altari remotum fuisse. Reliquæ partes sacerdotum erant, quorum masculis illis vesci integrum erat, & quidem in loco sacro, hac tamen lege, ne quid inde efferrent, vel in secundum vsque diem relinquerent. Οἱ ἱερεῖς, verba sunt JOSEPHI, τὰς πὶ δορᾶς ἀποφθεγονταὶ καὶ τὰ κρεῖα ἐπ' ἐκείνης διαπαντῶντες τῆς ἡμέρας ἐν τῷ ἱερῷ. ὁ γὰρ νόμος εἰς τὴν αἰώνιον ἀπολιπτὴν ἐκ ἑα (14). Quando igitur omnis caro sacrificio piacularium sacerdotibus cessit, dubium vllum vix est reliquum, quin COR vna cum pectore, cui adhærebat, a sacerdotibus, & penes quos ius potestasque erat carnes sacras comedendi, abintumtum fuerit. Hoc non obscure significat PHILO, qui de sacrificio priuati hominis ita differit: σαρξ καὶ λοβὸν ἥπατος καὶ διττὰς νεφροὺς ἐνεγκέν. τὰ δὲ ἄλλα τοῖς ἱερευσὶ παρασχέν ἐδώκεν, adipem, lobum hepatis ac duos renes obtulerunt, reliqua vero partes sacerdotibus epulas prabuerunt (15). Quare sacerdotes dicuntur עֹן נֶחֱמָן לִישׁוּת יהוה לִפְנֵי יְהוָה portare (ferendo auferre) iniquitatem cætus, ad expiandum illos coram domino Leu. X. 17. Sacerdotes partes victimæ piacularis, sibi destinatas, in ventriculum demittentes, inque substantiam suam digestionem

ac

(13) præf. in Leu. p. 182. col. 3. (14) Ant. Jud. L. III. c. X. p. 91.  
(15) de vict. p. 844.

ac concoctione facta conuertentes, in peccati, a populo  
 admissi, societatem deuenire censentur, sicque *peccatum  
 populi comedere* Hof. IV. 8. Quatenus vero ipsi typi Christi,  
 veri nominis sacerdotis, peccata mundi tollentis, exstiterunt,  
 eatenus illa expiarunt. Hinc perplacet illud R. ISACIDIS: ספרים מוכרים ובעלים מחכפריים *sacerdotes comedunt, offerentes expiantur.* Distinctius autem partes illas,  
 quas sacerdos, deo ita præcipiente, sibi vindicavit, enarrat  
 PHILO: τρεῖς, inquit, προσετακται τῷ ἱερεὶ διδοσθαι, βραχίονα καὶ σαχνονα καὶ τὸ καλυμτρον ἡνυσεσθαι tria præcepta sunt, quæ  
 dentur sacerdoti, ARMVS & MAXILLA & quod OMENTVM dicitur (16).  
 Digitum his verbis intendit in legem Deut. XVIII. 3. vbi legislator ex pecudibus sacerdotibus in peculium  
 addidit: והקברו והלחיים והרוע *armum, maxillam & ventriculum.* Judæorum interpretes multi sunt in rationibus  
 exquirendis, quare hæ præcipue pecudum partes sacerdotibus  
 cesserint: quas qui scire auet, ex Judæis adeat R. BECHAI &  
 ABARBANELEM, ex Christianis JAN. DRVSIVM, SIM. de MVYS &  
 SIM. EPISCOPIVM (17). Præter vtramque maxillam sacerdoti  
 LINGVAM adiudicatam fuisse, censent BECHAI & ABEN ESRA. Quid  
 vero per קבה quam vocem græcus per ἐνυσεσθαι reddit, sit  
 intelligendum, inter interpretes non convenit: a vero tamen non  
 abludit, inferiorem partem ventris indigitari, quæ viscera  
 ambit & in qua in pecudibus femellis vbera profant. Cui  
 sententiæ KIMCHIVS quam proxime accedit, qui existimat esse  
הכיס שבמעו הבהמרה שבו כנוס *sacculum, qui est in visceribus pecudis, in quo  
 est collectio lactis, ibidemque coagulatur: & HESYCHIVS ἐνυσεσθαι  
 interpretatur, τὸ μεγα ἐνυσεσθαι πον ζῶων, ἢ κοιαία.* Hoc tamen  
 præceptum de sacrificiis minus intelligendum esse, ex MAIMONIDE  
 obseruat AINSWORTHVS, sed potius de omnibus animantibus puris,  
 quæ mactabantur, ex qui-

(16) de sacerdot. honor. p. 832. (17) Instit. Theol. L. III. c. V. §. XXX. Opp. p. 89.



quibus supra memoratas partes sacerdoti dare fuerint ob-  
fricti.

§. 4.

Prius vero quam progrediamur, & hoc monendum est, inter ipsa sacrificia haut leuem differitatem ex supremi legislatoris arbitrio intercedere. Erant ex illis, quæ eodem, uti holocausta, modo integra absumebantur; quæ præterea & hoc sibi priuum ac peculiare habebant, ut ipsorum sanguis ad altare interius in ipsum templi palatium inferretur, cutisque vna cum carnibus extra castra combureretur. De sacrificiis, quorum sanguis altari aureo, itemque velamini, quod adyto oppansum erat, adsperebatur, hæc ab ipso deo perlata lex est: cuiuscumque sacrificii piacularis sanguis in tabernaculum conuentus illatum est ad expiandum in sacrario, illius caro non comedatur, sed igne comburatur Lev. VI. 23. Hoc fieri adsolebat in sacrificio sacerdotis vincti Lev. IV. 5. 6. totius item carus v. 16. 17. quorum proinde caro, vna cum capite & cruribus, itemque intestinis & fimo, extra castra in loco puro tota igne depascebatur. Per sacerdotem vinctum Judæorum magistri intelligunt P. M. per ערת ישראל synedrium, qui ut dignitate omnibus aliis antecelluerunt, ab eisdemque totus populus pependit; ita etiam peccata ipsorum fuerunt exstantiora, populisque illa imitatione quadam facta in mores suos transcripsit. Propter illorum igitur dignitatem sanguinem in ipsum templum illatum, victimam vero extra urbem, templi mole in cliuo Morix excitata, integram esse combustam, Judæorum magistri contendunt; quo sic omnibus adpareret, ipsos deliquisse quidem, sed vero ad meliorem frugem rediisse ac respuisse, a deoque ipso peccatorum veniam impetrasse, ne offendiculum ad plures dimanaret. Quod ut de principibus reip. Judaicæ facile dici patior, nec de P. M. omnino diffiteor; existimarim tamen, sublimiorem quandam rationem subfuisse, quare sanguis sacrificii piacularis P. M. in illam templi partem,

B

quod

quod sanctum dicitur, inferri debuerit. P. M. totius populi personam sistebat, quo peccante, totus populus peccasse iudicabatur, quod erudite, vti solet, demonstratum dedit Cel. VITRINGA (18). Cum autem, populi causam vti ageret, in sancto versari necessum haberet, (quo iure ipse & populus cum ipso propter peccatum exciderant) aliter fieri non poterat, quam vt sanguis sacrificii ipsius in sanctum immitteretur, ipseque & populus expiaretur, quo sic ius per peccatum amissum ipsi postliminio restitueretur. Idem obtinebat in sacrificio, quod in Aharonis, eiusdemque filiorum initiatione mactabatur, cuius sanguis licet tentorio a Mose non inferretur, sed altari æneo holocaustorum adspergeretur, tamen caro, cutis & simus castris efferebantur, ibidemque in cineres conuertebantur Ex. XXIX. 12. 14. coll. Leu. VIII. 14. 17. conf. PHILO (19). Nihilo tamen minus in his etiam sacrificiis altari suæ erant partes, adeps sc. intestinorum, lobus hepatis, duoque renes Ex. XXIX. 13. Leu. IV. 9. 19. 20. VIII. 16. Templo Hierosolymitano exstructo, carnes harum victimarum vrbe efferebantur, ac extra illius portas in loco huic ritui destinato, submisso igne conflagrabant. Qua de re MAIMONIDES quaerit: וכיצד מעשה חטאת הנשלפות שוחט וזורק רמס כמו שבארנו ואחר כך קורעם ומציא האימורים ונותנין בכלי ומולחין וזורקין על גבי האישיות ומציא שאריתן חוץ לעיר ומנתחין אותן שם כנתחי העולה בעורן ושורפין אותן בבית הרשן *quomodo vero adparantur sacrificia piacularia comburenda? Sacerdos mactat & adspergit sanguinem illorum, prout explicauimus. Postea vero secat illa & expromit האימורים qua immittunt in vas, sale condiunt & super focum spargunt. Inde reliquias portis urbis effert, quas secant instar holocausti in pelle sua, comburuntque in loco cinerum* (20). Fiebat autem hæc combustio vel in atrio templi, vel in monte domus, loco cui nomen *Bira*, vel denique extra

Hie-

(18) Obs. sacr. L. II. c. III. §. 14. p. 258-299. (19) de vict. p. 843.  
(20) Hilch. Korb. c. VII. §. 2.

Hierosolyma, qui locus dicebatur **בית ה' §. 3. 4.** Quoniam igitur nulla plane mentio CORDIS iniicitur inter illa viscera, quæ altari sacrabantur, certum est, cum reliqua carne extra templi septa crematum fuisse.

§. 5.

A sacrificiis piacularibus COR abfuisse declarauimus, sequitur, vt quid in illis pro reatu & eucharisticis vsu obtinuerit, dispiciamus. Quo labore breuioribus defungi licebit, quod iisdem fere ritibus in his, quibus in piacularibus, obsecundabant. Indolem huius sacrificii explanat **ABARBANEL**: **האשם הוא היחיד שנסתפק לו אם חטא בשגגה באחד מן המצוות שיש בהם מעשהו והיחיד על זרונם כרתו או אם חטא כם שמפני הספק ההוא מביא קרבן אשם** *sacrificium pro reatu est solitarii cuiusdam hominis, cui dubium est, num per errorem peccauerit aduersus aliquod ex preceptis adfirmantibus, & ubi destinato delinquunt consilio, exterminium sibi arcessunt, an vero minus peccauerit aduersus illa. Propter incertitudinem enim illam offert sacrificium pro reatu (21). Statim ac enim alicui peccatum innotescebat, non amplius ad אשם sed חטאת tenebatur, quia illud tantum ob peccata occulta & adhuc ignota offerebatur. Causas huius sacrificii, propter quas illud offerendum erat, enumerat legislator Leu. VII. 20-26. Quoniam vero אשם a חטאת nonnisi ratione peccatorum, quæ hoc sacrificium flagitabant, differebat §. I. eadem illæ partes, quæ in חטאת altari destinabantur, sc. omnis adeps, cauda, vna cum adipe intestinorum, duo renes cum adipe obtegente & lobus hepatis Leu. VII. 3. 4. (22). Eadem etiam partes, quæ in sacrificiis piacularibus sacerdotibus tribuebantur, in sacrificiis pro reatu iisdem adiudicabantur. Conceptis hoc verbis tradit **KIMCHIVS**: **והחטאת והאשם הים והאמורים למזבח וזהו ושוק לכהנים** *sacrificii piacularis & pro reatu sanguis & אמורים altari destinantur, sed pectus & armus sacerdotum sunt, nec minus reliqua caro vna cum cute (23).**

§. 6.

(21) præf. in Leu. p. 183. col. 3. (22) ib. c. 1. p. 182. col. 3. (23) libr. rad. p. 514.

Sacrificia pacifica, siue eucharistica, שלמים nuncupata, ex sententia R. ISACIDIS nomen tulerunt: שמטילי שלום בעולם שיש בהם שלום למזבח ולכהנים ולבעלי □ quia inferunt pacem mundo, illis pax conciliatur altari, sacerdotibus & illis, qui offerunt (24). Ex his in altari igne succendebantur, omnis adeps intestinorum, duo renes cum adipe & lobus hepatis Leu. III. 3. 4. Illis, quæ ex veruece, vel oue parabantur, præter dictas partes cauda integra addebatur v. 9. 10. quæ vero a sacrificio, quod capra absoluebatur, aberat v. 14. 15. Pectus vero & quidem dextrum illius latus, vbi altari obmotum & agitatum erat, sacerdoti, sacris operanti, accidebat. Partes, quæ & altare & sacerdos & is, qui offerebat, suo quodam iure deposcebant, distinctius recenset ABARBANEL: חלק שלמים ישמה חלק למזבח והם האמורים הנשרפים מהחמאת והחשם וחלק לכהנים והוא החזה והשוק שהיו הם אוכלים מהשלמים והשאר היו אוכלים הבעלים/ ולכך נקראו שלמים שנותנים □ Certe quod pacifica spectat, ex illis pars quedam est altaris, sc. אמורים (eadem illa partes, qua vbi est sacrificium piaculare & pro reatu, comburuntur) pars alia est sacerdotum: & quidem pectus vna cum crure, que comedunt ex pacificis. Sed reliquas partes comedebant offerentes, eaque de caussa adpellantur שלמים quia pacem præstant altari, sacerdotibus, itemque offerentibus (25), conf. PHILO (26). Carnibus pacificorum per biduum vesci integrum erat, tertio non item, PHILO c. l. (27). Cutis vero, quæ alias sacerdotum erat, in hoc sacrificiorum genere illis adsignabatur, qui victimam adduxerant. Obseruauit hoc KIMCHIVS: זבח השלמים והם והאמורים למזבח וחזה ושוק לכהנים ושאר הבשר והעור לבעלי □ pacifica quod attinet, horum sanguis & אמורים cedunt altari, sed pectus & crus sacerdotibus, reliqua vero caro & cutis offerentibus (28). Hæc ipsa totidem verbis ex SIPHRA deprompta

(24) ad Leu. III. 1. (25) præf. Leu. p. 182. col. 3. (26) de vict. p. 840. (27) p. 842. (28) libr. rad. p. 514.

promta, adparet ex iis, quæ R. SAL. BEN MELECH ad  
 Leu. III. i. commentatur. Quomodo vero singulæ par-  
 tes manibus offerentium impositæ, & quoquouersum a-  
 gitatæ, inde vero vel adductæ ad altare, vel a sacerdoti-  
 bus, itemque offerentibus comestæ fuerint, de illis con-  
 sultatur MAIMONIDES (29). Igitur nec in sacrificiis pa-  
 cificis COR ad altare fuit adductum. Hoc tamen inge-  
 nue est fatendum, esse qui existiment, in his sacrificiis  
 COR omnino cum reliquis visceribus ad altare delatum,  
 ibidemque igne absumentum fuisse. Hos inter nomen su-  
 um profitentur Viri Clarissimi JO. BIERMANNVS (30) &  
 JO. DAN. CRAMERVS (31), de quo tamen non sine rati-  
 one dubitat Vir doct. SIMON EPISCOPIVS (32). Nec de-  
 sunt argumenta, quibus euinci potest, in hoc etiam sa-  
 crificio COR desideratum fuisse. (a) Quia, cum singulæ  
 partes offerendæ specialius enumerantur Leu. III. nulla  
 tamen cordis fit mentio. (b) Sacrificia pacifica, quod ad  
 partes offerendas, conueniebant cum piacularibus & illis  
 pro reatu, a quibus COR abfuisse, §. 2-5. est demonstra-  
 tum. (c) Nec JOSEPHVS, nec PHILO reliquis ablegmi-  
 nibus COR accensent, quorum auctoritas hac in re flocci-  
 pendenda non est. Nec MAIMONIDES, qui tamen in  
 antiquitatibus & institutis gentis suæ vtramque fere pa-  
 ginam facit, vllam cordis iniicit mentionem. Vbi enim  
 de partibus offerendis, quæ manibus offerentium im-  
 ponebantur, sermonem facit, ita quærit: וכיצד מניחין  
 על ידי הבעלים נותן את החלבים על ידי הבעלים וחזה  
 ושוק למעלה ושתי הכליות ויותר הכבד למעלה מהם  
*sed* quo modo imponit illas manibus offerentium? imponit adipes manibus  
 offerentium, illisque superimponit pectus & crus, duos item tenes cum  
 lobo hepatis superimpositos (33).

B 3 §. 7.

(29) Hilch. Korb. c. I. §. 8. (30) Mos. & Christ. L. III. c. V. p. 539.  
 (31) diff. de ren. anim. §. XI. p. 14. (32) Inst. theol. L. III. Sect.  
 II. n. 1. p. m. 72. (33) c. I. c. IX.

Enarrauimus igitur præcipuas sacrificiorum species, & quid in illis de CORDE sit factum, pro instituti nostri ratione iustitiam. Impetrare autem a me non possum, quin subiungam illud, quod doct. SAVBERTVS (34) MAIMONIDEM secutus adieuerat: COR in quibusdam sacrificiis corpore exemptum, indeque seorsum igne in altari absumptum fuisse. Verba MAIMONIDIS, quæ in præsidium causæ deuocantur, hæc sunt: אם היה בעור סימן שיורע בו שזה העיר תקרובת כו"ם הוא כגון שהיו עו עושין שקורין קרע עגול כנגד הלב ומוציא הלב הרי כל איתן *quod si in pelle fuerit signum quoddam, unde sciri possit esse pellem victima profanis diis mactata. Ita v. gr. moris fuit, vt incisionem in modum circuli e regione cordis facerent, indeque COR EXTRAHERENT. Huius generis pelles omnes sunt interdicta, ne quod inde emolumentum capiatur (vel cuiquam rei adhibeantur (35). Ex verbis adparet, foramen aliquod, cum nondum pellis detracta esset, in corpore pecudis per modum circuli factum, indeque COR extractum fuisse; huius generis pellis ab hac circulari incifura לכו"ם עור לכו"ם c. l. §. 12. adpellari solebat. Quare etiam vsum omnium pellium, quibus aliqua, tali, incifura deformata, immista erat, interdicat: וכן עור לכו"ם שנתערב §. 12. Nouimus equidem in holocaustis, quæ ex auibus fiebant, moris fuisse, vt sacerdos extrinsecus in cute foramen aliquod, fenestraz instar, cultro peruorauerit, indeque ingluuiem extraxerit. Quo de videri potest R. ISACIDES (36) & DASSO-VIVS (37). Sed num tale quid in victimis maioribus obtinuerit, merito ambigitur. Hunc ritum EBRAEIS IDOLOLATRIS proprium fuisse, adferit SAVBERTVS, cum potius MAIMONIDES consuetudinem aliquam profanis gentibus priuam atque peculiarem excludere videatur, Vel*

(34) de sacrif. c. XX. p. 444. 445. (35) de idol. c. VII. §. 3.  
(36) ad Leu. I. 16. (37) diss de auc. yngue secta §. 7. 13.

Vel minimum vitium, quod in mactatione aut exoriatione admissum erat, victimam inutilem reddebat, quo minus aræ imponi posset. Sed vero num ritus ille, quem MAIMONIDES notat, vniquam inter profanas gentes vigerit, (quo de etiam DIONYSIVS VOSSIVS non sine ratione dubitat) ego saltim animi pendeo.

§. 8.

Hoc tamen tuto adfirmare licet, *exta*, inter quæ etiam COR locum occupat, non prorsus ab altari remota fuisse in profanarum gentium sacris. Postea quam enim pecus exlecta, *exta*, quæ verba sunt SERVII, cum probata & elixa, ara superponebantur (38). Extorum autem nomine plerumque JECVR venit, ita tamen vt PVLMO & COR non omnino excludantur (39). Obseruandum tamen, cum temporis lapsu haut leuem mutationem his sacris inductam fuisse: *exta* enim, quæ olim in deorum aris percocta adposuerunt, illa dehinc cruda reddere nulli sunt veriti. Arguit propterea leuitatis ac inconstantia ipsos ARNOBIVS: *Cum Romulo, inquit, Pompilioque regnantibus, percocta plane ac madida concremarentur diis exta: nonne rege sub Tullo semicruda capistis, & leuiter animata porricere, prisca consuetudine contempta* (40). Quin & hoc obseruandum, vbi paratis sacris epulæ sacrificales instruebantur, ad illasque amici atque familiares admittebantur, initium fere ab extis fiebat. Notauit hoc EMMENESSIONS, qui hac de re ita disserit: *Solebant veteres in sacrificiis hostie partem coniicere in ignem, disque immolare, partem vero cum iis, qui aderant VESCI. Et exta quidem prius COMEDEBANT, quam reliquam carnem* (41). Aliter longe sese habebat cum holocaustis, quæ integra in altare leuabantur, inque cineres redigebantur. De his sunt intelligenda verba VIRGILII:

Et

---

(38) ad Georg. L. II. v. 194. (39) Emmenessius ad Georg. L. I. v. 482. (40) adu. gent. L. II. p. 113. (41) ad Aen. L. VIII. v. 180.

Et SOLIDA imponit taurorum VISCERA flammis.

Pingue super oleum infundens ardentibus extis (42).

Per VISCERA, interprete SERVIO, significatur id omne, quidquid inter ossa & cutem est, adeoque victima ipsa, a qua distinguuntur exta, quæ nonnunquam abluta, elixa etiam ipsa reddebantur, & quidem his ea de causa immittebatur oleum, quo eo citius ac facilius ignem conciperent. Tantum etiam abest, ut exta ab altari fuerint remota, ut potius præ aliis omnibus victimarum partibus in altari adolerentur, cum primis vero JECVR. Quo de JUVENALIS canit:

aut cur

In carbone tuo charta pia thura soluta

Ponimus & sectum VITVLI JECVR, albaque porci

OMENTA (43)?

Aliquando etiam is officio suo defunctus esse iudicabatur, qui sola VISCERA obtulerat. Obtinuit id potissimum in sacris, quæ nauigantes tempestatibus faciebant, in quibus exta victimis exemta, in mare porriciebant. Ad quem ritum sermonem suum adcommodat VIRGILIUS:

EXTAQUE salsos

PORRICIT in fluctus (44).

PORRICERE ex sententia VERRII FLACCI idem est, quod porro iacere & de extis maxime antiquis dicebatur, porriciebatur autem foculis & aris, quidquid concremandum erat deo. Quæ exta sic immissa mari, supernatabant aquis, eo consilio, ne vndis tumesceret æquor & cursum secundarent venti. In hunc morem SILIVS ITALICVS digitum intendit suum:

Cui numen pelagæ placauerat hostia taurus,

Factaque caruleis INNABANT FLVCTIBVS EXTA (45).

Extæ vero CRVDA in æquor iniiciebantur, posteaquam hostia ante cæsa esset, quo factò, nauem soluere solebant

(42) Aen. L. VI. v. 253. 254. (43) Sat. XIII. v. 115-118. (44)  
Aen. L. V. v. 775 776. (45) L. XVII. v. 50. 51.



bant (46). Nec adipem omittere solebant, qui præ ceteris diis consecratus & altari destinatus erat. Inde PERSIVS:

*Quo pessime pacto  
Tot tibi cum in flammis iunicum OMENTA liquecant?  
Artamen hic EXTIS, & opimo vincere farto  
Intendit (47).*

§. 9.

Ex supra demonstratis igitur liquet, in holocaustis quidem COR vna cum reliquis victimæ partibus oblatum ac igni absumtum, in reliquis vero sacrificiorum generibus, piacularibus scilicet & pro reatu, nec minus pacificis ab altari remotum, reiectumque fuisse: ita quidem ut in piacularibus P. M. totiusque cætus COR cum omni victimæ carne extra castra igne combustum, in reliquis vero, quod fidei absolum haut est, a sacerdotibus fuerit comestum. Eadem mens est præstantissimis Christianorum interpretibus, quorum aliquos nominasse ab instituto nostro alienum haut est. Hos inter primum locum occupet SEB. MVNSTERVS, qui ita commentatur. *Non exiguntur in hoc sacrificio (pacifico) sicut & in aliis præter HOLOCAVSTVM, COR, pulmo & CEREBRVM, quæ officina sunt sapientum cogitationum, sed adipem, renes, sanguis, & aliquid de iecore, quæ prima pruritus seminaria excitant, ut pulcre Racanati scribit (48). Hæc ipsa verbo tenus, ut sæpe alias, repetit ISIDORVS CLARIVS, quare necesse non est, ut peculiarem illi locum assignemus, qui non suffragiorum numero, sed demonstrationum euentia militamus. Cum hoc, quod ad sensum, fere conuenit ANDR. RIVETVS: Ebraeorum, inquit, doctores notant, membra illa & partes corporis deum in sacrificiis potissimum petere, quæ concupiscentiis subiiciuntur, ut sunt renes, ubi prima est concupiscentia officina; hepar, quod libidinem roborat & adeps, quo etiam inflammatur: quo modo animalia, quæ impinguntur, recalcitrant. Significatur ergo mortificanda esse carnis*

C  
nostræ

(46) Lilius L. XXIX. c. LXVII. (47) Sat. II. v. 46-49. (48) ad Leu. III. 4.

nostra desideria, eaque ignea vi spiritus comburenda & crassamentum omne natura vitiate abolendum; veterisque Adami sordes omnes extra ecclesiam relinquendas (49). HENR. AINSWORTHVS sapienter admodum monet: adipem igne absumtum designare ablationem corruptæ indolis nostræ beneficio spiritus Christi. Pariter renes, (qui concupiscentiarum sunt sedes) COR atque CEREBRVM (quæ sunt sedes sapientiæ ac prudentiæ) comburebantur, vt ob animum nobis sisteretur mortificatio membrorum nostrorum, cetera, Col. III. 5. IV. 5. (50).

§. 10.

Quæ vbi vera sunt, vera autem esse nullus dubito, sc. COR quibusdam sacrificiis adfuisse, ab aliis vero abfuisse; quærat aliquis, quæ illius rei ratio, cum sanctissimus populi Israëlitiçi moderator nil quidquam iniunxisset videatur, quod non ex sapientissimis rationibus profectum? An holocaustum præstantius atque perfectius aliis sacrificiis? quare COR symbolum animæ, omnis cogitationis, sapientiæ, amoris ab altari remotum, cum tamen optimum numen COR vel maxime i. e. promptissimum animi obsequium, fide salutari subnixum, a sui cultoribus exposcat Prou. XXIII. 26. 1. Tim. I. 5. Sacrificii notio iure merito illis accensetur, quas Cl. CLERICVS *compositas* nuncupat, quæ cum in plures partes distinguantur, illas animo nostro complecti non possumus, nisi omnes partes, quibus constant, peruideamus (51). Sacrificandi actus ponit offerentem, victimam, sacerdotem, aram, ac illa omnia ambitu suo inuoluit. Victimam considerari potest, vel qua *vicem offerentis* sistit, vel qua est *medium*, imo *causa* reconciliationis & consociationis hominis cum Deo. In sacrificio alia res *sele animo ingerit*, alia *oculis obicitur*. Quæ nisi circumspèctius expendantur ac distinctius explanentur, ordinatiuque digerantur, difficile erit admodum, certum iudicium de sacrificiis formare, & quam in præsentia tractamus quæstionem, discutere. §. II.

(49) ad Exod. XXIX. 13. Opp. T. I. p. 1155. (50). ad Leu. III. 4. (51) Art. Crit. Vol. I. P. II. Sect. II. c. II. p. m. 371, seqq.

Quando hostia (N) spectatur tamquam *medium & causa* reconciliationis hominis cum deo, qui oculis suis hostiam dissectam, inque altare totam adscendentem conspiciebat, nulla parte, excepta cute, residua, illamque in ignem atque fumum abeuntem: is non poterat non in hanc ingredi cogitationem, sacrificium, quod sui cum deo reconciliationem procuret, esse perfectum omnino, omnibusque numeris suis absolutum. Vidit hic aliquid ABARBANEL, non obesa naris homo, qui, quoniam velamen Mosis recutitorum mentibus atque oculis est oppositum, & *πρωτος* Israël obuenit, mysterium reconciliationis, externo sacrificii symbolo effigiata, peruide-  
re minus potuit, id temere in typum transferens, quod

*ἀντιτύπος* vnice debetur: הכלית העולה הוא לרבך הנשמה השכלית עם בוראה ית' ובבחינת הנפש והשארות והירר לרמוזו שכמו שהחך (\*) ההוא במיתו היה נקרב על מזבח השם והיה נדבק אל האש ומתאחד עמו ועולה ריח ניחוח ליי' כך האיש המקריבו או הצבור אחרי מותם יעלו אל האלדים בהר יי' ומקום קדושתו וירבך ויתאחד חתה כסגת כבודו. *Finis holocausti hic est, ut anima intellectualis adhereat creatori suo, deo benedicto, explorata item cognitionis anima & immortalitatis holocaustum fuit symbolum: quod, quemadmodum HOSTIA per mortem suam ad altare domini adducebatur & igne peruadebatur, unumque cum eo constituebat & in odorem deo gratum adscendebat: ita etiam ille, qui sacrificium offerebat, aut integer catus post mortem ascenderent ad deum in montem domini & locum sanctitatis ipsius, illi adhaerent & coniungerentur subter solium gloriae ipsius (52.)* Egregia certe fidei confessio, nisi homo, perfidiae Iudaicae obstri-

C 2

ctus,

(\*) Quoniam hoc scribendi compendium plane insolens Judæis, quod ex BVXTORFIO & WOLFFIO adparet, locus hic operarum incuria fortean in mendo cubat. Sin leco שהחך leui quadam litterarum mutatione legas שהכח i. e. שהבעל חיים *hostia, animal brutum*, quæ forma apud magistros crebro recurrit, sensus est commodus & omnia bene flunnt, (52) in *Leu. p. 184. col. 2.*

Etus, quærens iustitiam ex externo sacrificio, Christum amisisset. Ut autem omnis labes atque defectus a victima, quæ in holocaustum cedebat, abesse iubebatur; ita & hoc peculiare habebat, ut ex folis masculis constaret §. 3. Sect. 1. Quod ut consummatissimam perfectionem designat; ita etiam integra offerri & accendi debuit. Hoc ipso igitur credentes testabantur, se expectare ἀπολυτρωσιν vi sacrificii illius, qui peccata sanguine suo expungeret, quique futurus esset ἴσιος, ἀκαθῶ, αμικῶ, κεχωρισμένῶ ἀπο τῶν ἀμαρτωλῶν Ebr. VII. 26. ἀμῶ ἀμωμῶ καὶ ἀσπίλῶ 1. Petr. 1. 19. Fuisset autem hoc sacrificium minus perfectum, si quidem COR abfuisset. COR est prætantissima pars corporis animalis, vnde omnis motus pendet & in quo adfectiones animi vim suam quam vividissime exserunt: vnde sensu translato pro ipsa anima, cuius sedes habebatur, aliquoties accipitur Ps. XXIV. 4. LXXXIV. 3. 1. Petr. III. 4. Ebr. XIII. 9. Nec hoc solum obtinet apud scriptores sacros, verum etiam τὴς ἐξω. Ægyptiorum sapientes COR sedem animæ statuebant, ἡ ΚΑΡΔΙΑ κατ' Ἀιγυπτίους ψυχῆς περιβολῶ, inquit HORAPOLLO (53). PYTHAGORAS, cuius sapientia maxima ex parte ex orientali profuxit philosophia, inter alia præcepta symbolica & hoc disciplinæ suæ alumnis inculcabat; ΚΑΡΔΙΑΝ μὴ ἐδιδίεν. Quod ex ipsa Pythagoræ interpretatione significat: τὴν μὴ ΨΥΧΗΝ ἀνοίαις, καὶ λυπαῖς καταπαύειν, ANIMAM angoribus & moerore non esse consciscendam (54). Qua de causâ COR symbolum consilii atque vitæ, quantum rerum utrumque a CORDE proficiscatur, CICERONI habetur (55). Quando igitur COR ex vsu diuinarum litterarum & vniuersali fere sapientum sententia, ANIMAM, consilii, sapientiæ, omnique prudentiæ sedem, designat; per holocaustum, in quo COR conflagrabit, præmonstraba-

(53) Hierogl. L. I. c. VII. p. m. 10. (54) Laërt. Pyth. L. VIII. p. m. 579. conf. Erasmus adag. Chiliad. I. cent. I. p. 17. (55) de diuin. L. I. c. LII,

strabatur, in veri nominis sacrificio non *corpus* solum, sed vel maxime *animam* requiri. Hinc de sospitatore promisso Jesaias præcinit: **נְשַׁח אֶת-רוּחַ דָּוִד אֱלֹהֵינוּ** c. LIII. 10. i. e. si *animam*, se ipsum promptissimo ac lubentissimo animi obsequio per **הַחֲמִיּוֹת** *permutationem* quandam (quæ vox non infrequens est Judæis, vbi de sacrificiis agunt, conf. quæ disseruimus §. VI. Sect. I.) *posuerit pro reatu*, quem nos nostris peccatis contraxeramus; quo illa expungeret, Deum patrem suum sanctificaret, nobisque iustitiam ac salutem æternam addiceret. Quare ipse Messias, posteaquam omnis generis sacrificia recensuisset, monstrassetque, ab illis veram satisfactionem expectari haut potuisse, illis suum opponit sacrificium, quod ut offerret, humana carne indutus, in hunc orbem venisset: *facere voluntatem tuam, DEVS mi, mea est voluptas, & lex tua est in medio VISCERVM meorum* Pf. XL. 9. Lex in medio viscerum ipsius, est speciatim lex redimendi fratres, peccatis infirmatos, quæ ipsi ita in medullis hærebat, vt nil satius, nil antiquius esset ipsi, quam vt illam effectui daret. Quod cum fieri non posset, nisi mortem adiret, suosque fratres mortis faucibus expediret: necessum erat omnino, vt animam suam daret pro illis. Quare apud Matthæum testatur, se venisse **δεναι την ψυχην αυτης λυτρον αντι πολλων** c. XX. 28. Marc. X. 4. Quod vt fieret, iustitia diuina flagitabat, vt pondus iræ diuinæ intus atque in anima sua perfentisceret; quo sic ipse reatum expungeret ac deleret. Hinc ipse queritur: *factum est .COR meum instar cera, liquefactum est in medio viscerum meorum* Pf. XXII. 15. **למַעַן** aliquis, labor atque *arumna* molestissima adscribitur *anima* Jef. LIII. 11. quo tempore æstu iræ diuinæ conficiebatur. Intensissimis cruciatibus anima agitabatur, quare has flebiles emittit voces: **περιλυπησεν η ψυχη μου εως θανασης** Matth. XXVI. 38. Marc. XIV. 34 qui tanti fuerunt, vt inciperet **λυπεισθαι και αδημονειν** Matth. XXVI. 37. **επδαμβεισθαι και αδημονειν** Marc. XIV. 33.

Et quem ad modum COR victimæ, ex qua holocaustum parabatur, discendebatur, omnisque sanguis exprimebatur §. 3. 4. Sect. I. ita etiam sospiratoris latus, cum in crucem, tamquam aram leuatus esset, fuit apertum, unde sanguis & aqua profluxit Jo. XIX. 34. Equidem necessarium non est, ut cum antiquioribus Theologis adferamus, COR lancea tactum, perfossum fuisse; adeo ut ex corde *sanguis*, ex pericardio vero *aqua* profluxerit; quo sic inter typum & antitypum accuratior conuenientia apprehendatur. Satis est, hac ipsa lateris apertione & sanguinis pariter atque aquæ profluxu manifestum euasisse; vitam ex intimis corporis latebris erutam esse, mortique vere succubuisse, quo nos certi redderemur, a morte nos vindicatos, vitæque restitutos esse.

§. 12.

Quoniam vero hoc suo sacrificio nos deo nostro reges & sacerdotes fecit Apoc. V. 10. hinc (☞ holocaustum integrum vna cum CORDE, omnibusque partibus suis absumtum nos monet, ut & anima & corpore, quæ illius sunt, nos ipsi sistamus 1. Cor. VI. 20. in victimam viuam, sanctam, deoque placentem Rom. XII. 1. Victimæ sistebant personam offerentium §. VI. Sect. I. Ut autem deus sanctus, ab omnique peccatorum labe & impuritatibus sordibus quam longissime est remotus: ita etiam iure optimo ab illis, qui fide secum coniungi adnituntur, postulat, ut peccatorum sordibus sint abluti. Hoc in sacrificiorum umbris fuit præfiguratum. Non solum enim oportebat victimas integras esse, verum etiam expertissimè quique sacerdotes adhibebantur, qui omni adhibita cûra pecudem inde a pedum extremitatibus ad caput usque curatissime lustrarent, ipsasque etiam ventris latebras pertentarent, omniaque folicite scrutarentur, sicubi aliquis defectus aut labes offenderetur. Hoc ipso hominem officii sui commonitum fuisse, sapienter præcipit  
PHI-

PHILO: βελεται αναδιδαξαι δια συμβολων, οποτε παρερχοιντε  
 εις βωμους, η ευχομενοι, η ευχαρισησαντες, μηδεν αρρωσημα, η πα-  
 ϑει επιφρασει τη ψυχη, πειραζει δε ολην δι ολον ακηλιδατον  
 αυγαζειν, ως ιδοντα μη αποσραφηναι θεον. Vult illis symbolis  
 docere, ne, ubi accedant ad altare, vel preces facturi, vel gratias a-  
 cturi, morbum aliquem, aut vitium anime adherescens adferant, sed  
 potius illam immaculatam omnino sistant, quo minus deus videns ipsos  
 vultum suum auertat (56). Quæ caussa est, quare diuinus va-  
 tes omnem cultum spirituales confessione oris circum-  
 scribat: ונשלמה פרים שפתינו & retribuemus iuuenos labia no-  
 stra Hof. XIV. 3. Vox שלם ambitu suo inuoluit compensatio-  
 nem, vel substitutionem, quæ fit loco alterius rei, cuius vi-  
 cem sustinet, quæque illam compenfat, vid. Leu. V. 24.  
 Hinc KIMCHIVS recte παραφραζει נשלמה פרים במקום  
 שפתינו וירוי לפניך loco iuuenorum retribuemus (vel in locum iu-  
 uenorum substituemus) tibi confessionem labiorum nostrorum. Eadem  
 mens fuit antiquissimorum interpretum. Hinc JONA-  
 THAN VSIELIDES conuertit: ויהוין מלי ספותנא מתקבלין & sint verba labiorum nostro-  
 rum accepta tibi INSTAR TAVRORVM, qui ad beneplacitum  
 tuum offeruntur in altari, & οι ο verbum שלם reddunt per  
 ανταποδιδοναι. Quare non est, vt contra fidem omnium  
 codicum cum JANO DRVSIO legamus פרי שפתינו In  
 typis quippe & antitypis, monente Cel. SAL. GLASSIO, ad-  
 pellationum quandoque εναντιωγη & permutatio contingit (57): quare  
 istiusmodi locutiones commodissime per adpositionem ex-  
 plicari possunt (58). Interpres Græcus conuertens καρπον  
 χειλεων ημων, quem secutus PAVLVVS Ebr. XIII. 15. non  
 tam verbis, quam sensui intentus fuisse est censendus.  
 Quando autem labia consentientium nomen dei dicuntur  
 פרים / mente ac cogitationibus nostris reuocamur ad rem,  
 in cuius locum labia in cultu spirituali substituuntur.

Nul-

(56) de vict. p. 836.

(57) Phil. Sacr. L. II. P. I. Traçt. II. Sect. IV.

can. IX. p. m. 215.

(58) Jo. Jac. Rambachius herm. sacr. L. IV.

c. II. §. II. p. 778.

Nullus autem dubito, quin ad holocausta his verbis respiciatur, quia (1) in illis iuenci principem obtinebant locum. Animaduertit hoc ABEN ESRA: הזכיר פרים כי הוזכרו בערוריהם והיקרים הם גדולים המentionem facit iuencorum, quia illi maximi & prestantissimi inter victimas, ex quibus holocaustum instruebatur. (2) Quia in illis tantum ratio typi & antitypi luculenter aduertitur. In illis quippe, non in aliis sacrificiorum generibus CAPVT vna cum LABIIS & LINGVA (\*) adolebatur. Quoniam autem ore profiteamur fidem Rom. X. 9. 10. quo testamur gratiam nobis in Christo factam, promptumque obsequium promissionibus diuinis, eiusdemque præceptis exhibendum, pollicemur, interni ac spiritualis cultus cardo in hac oris confessione verti iure merito censetur, sicque iuenci labiorum in locum holocaustorum recte succedunt, iidemque illi vituli sunt, qui in altare domini ascendunt Ps. LI. 21. Hæc est λογική λατρεία, quæ, quia verbis, fidem ac sincerum in deum amorem spirantibus, declaratur, non iniuria interpret SYRVS: השמשתה מלילה seruitium verbis exponendum Rom. XII. 1. conuertit. Per holocausti igitur oblationem omnibus ad deum

(\*) Profanæ etiam gentes LINGVAM in sacris diis suis, cum primis MERCVRIO, sermonis omnis ac eloqui præfidi, obtulerunt. Faciebant hoc illo vel maxime tempore, quo in eo erant, vt ingruente nocte ad quietem sese componerent, linguam victimæ exsecantes, eandemque illam vino delibutam in ardentem focum immittentes. Quo de ritu vide sis EVSTATHIUM ad Hom. Odyss. L. III. 34. seqq. SCHOLIASTEN APOLLONII RHODII ad Argon. L. I. 515. CAEL. RHODIG. L. A. L. XIII. c. V. p. 576. Huic natales suos debet proverbialis locutio, poetarum ore frequentata: τιμνέτε γλώσσας, scindite linguas. Ad quam num verba LVCAE: καὶ ὠφθήσαν εὐπνοίας διαμεριζομένην γλώσσαι ὡσεὶ πυρρός. Act. II. 3. sint exigenda, flammulæque illæ ignæ, fidissimorum Christi internuntiorum capitibus imminentes, in stuporem, nescio quem, subitumque silentium conuertendæ, (quod viro cuidam docto MICHAE ERICH SOLEICHT visum) ego certe dubitarim admodum. Sed hac de re, fauente propitio numine, forte alio tempore prolixius differendi erit occasio.



deum accedentibus inculcabatur sanctitatis intemerata ac sinceritatis, integritatisque studium. Talem integritatem ap. Thessalonicensibus adprecatur: *αυτος δε ο θεος ειρνης αγασσει υμας ολοτελεις και ολοκληρον υμων το πνευμα και η ψυχη και το σωμα αμεμπτως εν τη παρσισι τς κυρις ημων ιησυχριστς τηρηθει* 1. Theff. V. 23. Talem autem se homo deo sistere non potest, nisi prius peccati labes, eiusdemque sordes fuerint sublatae ac deterseae. Huius rei necessitas indicata fuit per *cordis discissionem ac sanguinis in eo residui expressionem* §. IV. V. Sanguis est solum impuritatis Ez. XVI. 6. Quando igitur COR holocaustorum prius discindebatur, inde vero sanguis omnis exprimebatur, significatum est, (1) peccatorum impuritatem congenitam esse eluendam, & id quidem beneficio sanguinis τς μεσιτς, quo fuso, peccatori ius datur cum fiducia accedendi ad deum. Vt enim sanguis holocausti, altari adpersus, omnes victimae partes eidem sacrabat; ita etiam per & propter sanguinem Christi ius nobis restituitur propinquandi ad deum *μετα αληθινος καρδιας εν πληροφωρα πιστως. ερραντισμενοι τας καρδιας απο σονειδησως πονηρας* Ebr. X. 22. (2) Vti sanguis ex corde exprimi non poterat, nisi prius discinderetur: ita homini de salute sua sollicito peccatorum venia, ius vitae aeternae, filialis ad deum accessus nec concedi, nec sanctitatis illibatae studium ipsi ingenerari potest, nisi prius COR dolore, peccatorum ergo concepto, laceretur, indeque desiderium ad deum cum integritate accedendi vitaeque in melius mutanda propositum subsequatur. Hinc respicientes iubentur *scindere cor suum* Joel II. 13. Verbum עקב & de discissione cordis holocausti §. IV. Sect. I. & discissione cordis penitentis impropria adhibetur. Et quoniam lex iuncta promissionibus gratiae per ineluctabilem vim spiritus S. hominem peccatorum arguit, ut salutem serio desiderare, ac viam circumspicere incipiat, qua miseria sua eluctari possit, vulnus quasi cordi infligitur, ac gravissime

D

uisime

nissime fauciatur. Hinc Judæi Hierosolymitani, teste LVCA, audito sermone PETRI, ΚΑΤΕΝΤΗΚΑΝ τῆ ΚΑΡΔΙΑ Αἰ. II. 37. dolore exquisitissimo, quasi stimulis adaētis, CORDE sunt COMPVNCTI ac lancinati.

§. 13.

Vidimus igitur rationes, ob quas COR in holocausto adesse debuit. Pergimus ad alia sacrificiorum genera, in quibus ipsum illud ab altari remotum. Hic rursus alia sunt ratione *victime*, quæ offertur, alia ratione illius, qui *offert*, alia denique respectu *Christi*, cuius sacrificium pecudum cruore delineabatut. Vbi sacrificaturi COR ab altari remotum, reiectumque videbant, non poterat sane alia in illis cogitatio suboriri, quam ( $\alpha$ ) cultum hunc suum, quem ex pecudibus ac mutis animantibus instituebant; non esse λογικον, nec ita comparatum, vt cum sanæ rationis præceptis omnino componi & conscientiam tranquillare possit. Absentia CORDIS in animali bruto, symbolum *defectus consilii* ab auguralis scientiæ consultis habebatur. Quare cum in hostia Cæsaris, quo tempore primum in sella aurea sedit & cum purpurea veste processit, in extis bouis opimi COR non deprehenderetur, augur Spurinna censuit, *timendum esse, ne & CONSILIVM & VITA deficeret* (59). Cum igitur contemplatio animantis bruti, quod in præsentia sui loco ad altare ducebant, ipsos de imperfectione cultus sui edocere posset; multo magis id fiebat, quoties COR illarum numero partium exemtum aduerterunt, quas dominus sibi sacras esse voluit. Quæ cogitatio vbi animos ipsorum versabat, dubium vix est vllum, quin seriis abs deo precibus contenderint, vt *tempus correctionis præteriret* Ebr. IX. 10. ac ille temporis articulus decurrere inciperet, quo *deum in spiritu & veritate venerarentur* Jo. IV. 23. sicque λατρεῖαν λογικην instrue-

---

(59) de diuin, L. I. c. LII

struerent Rom. XII. 1. (β) Vitam quidem dari pro vita sua, sed talem, quæ a conceptaculo suo separari possit. Ex CORDE, inquit SALOMO, sunt תוצאות חיים *exitus vitarum* Prou. IV. 23. Hinc PYTHAGORAS iudicauit, inde a CORDE ad CEREBRUM vsque esse principium ANIMAE, adeoque etiam VITAE: ἐναι την ἀρχην της ΨΥΧΗΣ ἀπὸ ΚΑΡΔΙΑΣ μετὰ ΕΓΚΕΦΑΛΟΥ (60). In sanguine animalis bruti confisfit *vita*, ipsiusque etiam *anima* (\*), quo cornibus al-

D 2

taris

(60) Laërt. Pyth. L. VIII. p. 586.

(\*) In facris quoque exterarum gentium hostia, quæ cædebatur ANIMA dicebatur. Quo tamen nomine illa tantum insigniebatur, quæ ad aram adducebatur, cremabaturque; minus illa, cuius exta ac viscerum fibras rimabantur aruspices. Hinc discrimen aliquod constituiebant inter hostiam ANIMALEM ac CONSVLTATORIAM. De vtraque sermonem facit MACROBIUS, docens ex sententia Trebatii, *hostiarum genera esse duo; unum, in quo voluntas dei per exta disquiritur, alterum, in quo sola ANIMA Deo sacratur, unde etiam aruspices has hostias vocant ANIMALES*, Sat. L. III. c. V. p. m. 393. Igitur sanguis, quo madebat ara, vel integra victima, quæ conflagrabat, ANIMAE nomine venit, quod vel maxime ex illo VIRGILII elucet:

Hanc tibi, Eryx, meliorem ANIMAM pro morte Daretæ  
Perséno. Aen. L. V. 483.

Hinc vbi sanguis hostiæ, qui pro aliterius vita dabatur, ANIMA dicitur & facta adspersione reliquus sanguis omnis ad altaris pedem effundebatur: diuinam illam visionem, quæ B. JOANNI contigit, quaque vidit ΥΠΟΚΑΤΩ ΤΟΥ ΘΥΣΙΑΣΤΗΡΙΟΥ ΤΑΣ ΨΥΧΑΣ των ἐσθλαγμῶν κ. τ. λ. SVBTER ALTARE ANIMAS MACTATORVM Apoc. VI. 9. ad hunc ritum adcommodatam esse, prudentioribus interpretum est visum. Cum hac phrasi apocalyptica confert GAVL MINVS not. ad vit. Mos. L. III. c. VII. p. 219-221. edit. Fabric. illam Cabbalistarum, qua anima dicitur תחת כסא כבוד esse *subter solium gloria*, quaque ultimam felicitatis aeternæ lineam & in speculo, (vtitur verbis Cabbalisticis vfitatis) lucente cognitionem indigitari contendit. Locis a Gaulmino adductis addi potest illud ABARBANELIS, qui de anima post fata in artificiosum dei consortium transferenda dicit: יורכב ויחאחר תחת כסא כבוד quod *adhesura sit deo & coniungenda ipsi SVBTER SOLIVM GLORIAE ipsius*, præf. Leu. præm. p. 183. col. 2,

taris adsperso, in eiusdemque extremitatibus adfuso, COR tamquam mortuum aliquid, omnique vita priuatum remouebatur. Apud deum vero est □□□□□□□□□□ קָוֶה חַיִּים vita omnibus numeris absoluta & perfecta, quæ nec imminuitur, nec debilitatur Pf. XXXVI. 10. sed ex perpetua scaturigine ebullit & profluit. Cum igitur COR ab altari remotum viderent, probe intelligebant, perfectiorem longe vitam requiri, vt vitæ illius perfectissimæ dei participes euadere possent; illius sc. qui haberet *δυναμιν ζωης ἀκαταλυτῆς* Ebr. VII. 16. quique proinde, vbi vitam corporis sui morti dedisset, illam repetere, omnesque, pro quibus vitam dimiserat, perpetuæ, nec intermorituræ vitæ beneficio donare posset. (γ) COR ab altari remouebatur, quoniam illud in sacris litteris tamquam fons & scaturigo omnis mali, omnisque impuritatis respicitur Gen. VIII. 21. Matth. XV. 18. Id autem quod non solum impuritate est deformatum, verum etiam fons atque origo omnis immunditiei est, illud certe ad malum eluendum, peccatumque expungendum adhiberi nequit. Hanc solam esse rationem, quare cor ab altari sit remotum, visum est PHILONI, cuius verba adscribere non piget. *Το ἡγεμονεου των ἐφ' ἡμιν ἀφροσύνην καὶ ἀδικίαν καὶ δειλίαν καὶ τὰς ἀλλὰς κακίας δυνάμει τε καὶ χωρεῖ. Τὰτα δὲ οἰκῶ το ἐπρεθν των λεχθειτων ἐστὶν ΕΓΚΕΦΑΛΟΣ καὶ ἡ ΚΑΡΔΙΑ. ἐδικαιωσεν ἐν ὁ ἱερῶ λο-*  
γϞ,

---

Quod si igitur phrasis apocalyptica cum illa Cabbalistarum *εἴσει* adeo amica conspirat concordia, nescio quo colore Gaulminus dicere possit, interpretem SYRVM hæc verba *sa- tis inepie ad gentis theologiam vertisse, licet bene ad verbum.* Si enim Syrus, conuertens verba JOANNIS, *מַן הַחַת חוּת דְּנִיִּסִין לְנַפְשָׁתָא דְּהַכּוּן דְּנַכְסִין* *vidi subter altare animas illorum, qui mactati sunt,* presso sequitur pede exemplar Græcum, nec ouum ovo potest esse similius; certe dici non potest de SYRO, ipsum inepie vertisse, nisi simul dicatur, Joannem hæc verba parum Cabbalistiche protulisse, & inepie ad gentis suæ theologiam pronuntiasse. Quod tamen dictu est horridum, inque diuinam diuini libri auctoritatem aduersa fronte incurrit.

γῶ, τῶ τῆ θεῶ βασιμῶ, δι' ἅ παντῶν ἀμαρτηματῶν καὶ πικρῶν  
 μαματῶν ἀπολυσις γινῶται καὶ παντελεῖς ἀφισις, μὴ πρῶσ φε-  
 ρειν ἀγίσιον, ἐν ὁποτέρῳ νευσις ὁ νῆς ἐπὶ τὴν ἀδικίαν καὶ ἀνοίαν  
 ἐχρησεν, ἐκτραπομενῶ τῆς ἐπ' ἀρετὴν καὶ καλοκαγαθίαν ἀγῶ-  
 σης ὁδῶ. εὐηθες γὰρ ἴστας μὴ ληθῆν ἀμαρτηματῶν, ἀλλ' ὑπομνησι  
 αὐτῶν κατασκευάζειν. Τῶτ' αἰτιῶν εἶναι μοι δοκεῖ τῆς μηδετέρῳ  
 τῶν ἡγεμονίαν ἔχοντῶν, ΕΓΚΕΦΑΛΟΝ, ἢ ΚΑΡΔΙΑΝ πρῶσ φερῶδῶ.  
 Principalis nostri pars capax est iniustitie, timiditatis, imprudentia,  
 ceterorumque vitiorum: habitat autem in duabus modo dictis sedibus  
 CORDE atque CEREBRO. Itaque sacra lex equum iudicat, non  
 oportere ad altare dei, ubi solet impetrari omnium peccatorum & ini-  
 quitatum remissio, inferri vas illud & conceptaculum, in quo mens  
 proclinavit ad iniustitiam ac insipientiam, desectens a via ducente ad  
 virtutem, honestatemque. Stultum enim fuerit in ipso sacrificio refricari,  
 non aboleri peccatorum memoriam. Et hoc est, opinor, cur neu-  
 trum offeratur principalis conceptaculum, neque COR, neque CE-  
 REBRVM (61). Cui sententiæ acutissimi PHILONIS v-  
 trumque, quod aiunt, pollicem premimus, hoc adden-  
 tes, quando COR ita ab altari repulsum viderunt, ani-  
 mos ipsorum arreptos fuisse ad perfectum sacrificium illi-  
 us, qui nulla peccati labecula infectus esset. Ille solum  
 peccata populi sui in corpore suo versus lignum depor-  
 tare potuit, qui peccatum neque fecit, in cuiusque ore  
 dolus non est inuentus 1. Petr. II. 22. qui proinde perfe-  
 ctissima iustitia atque sanctitate sua nostra peccata expi-  
 auit: μὴ τετελειῶκεν εἰς τὸ θῆνεκες τῆς ἀγιάζομενης. Ebr. X. 14.

§. 14.

Adhæc si victimam consideramus, quatenus perso-  
 nam offerentis repræsentavit, CORDIS ab altari remotione  
 sanctissimum numen significatum voluit, homini, quam-  
 diu est in impuritate sua congenita, integrum haut esse,  
 accedere ad deum. COR novum, quatenus opponitur  
 sædissimæ labi, quæ hereditate quadam inde a primis

D 3

pro-

(61) de viâ. p. 841.



progenitoribus nostris ad nos est transmissa, notat syste-  
 ma atque complexionem omnium beneficiorum gratiæ,  
 quibus sordes, quæ animæ nostræ adhærescunt, abster-  
 guntur: inde vero nouum aliquod decus infuso per sp. s.  
 efficientiam virtutum, pietatis ac sanctitatis studio con-  
 ciliatur. Tale cor nobis natura non adest, nec naturæ  
 viribus nobis indi potest. Quare DAVID precatur, COR  
 PVRVM *crea mihi* DEVS Ps. LI. 3. ipse vero deus promit-  
 tit, *dabo vobis* COR NOVVM & SPIRITVM NOVVM *in*  
*medio vestrum & remouebo* COR lapideum *ex carne vestra & dabo*  
*vobis* COR CARNEVM Ez. XXXVI. 26. Quare cordis re-  
 motio ab altari hæc duo offerentibus ingerebat. (I) Eo  
 nitendum esse viribus omnibus, vt congenita peccato-  
 rum indoles perdometur, subigaturque: quod diuiniore  
 litteræ adpellant *depositionem veteris hominis* Eph. IV. 22. *mor-*  
*tificationem membrorum, quæ in terra sunt* Col. III. 5. (II) Ope-  
 ram omnem adhibendam, vt expulsa vitiorum indole &  
 prisca peccandi consuetudine, vi sacrificii Christi & in-  
 eluctabili sp. s. potentia mens nõstra nouis virtutum, fi-  
 dei, pietatis ac honestatis habitibus exornetur. Hoc  
 phrasi, sacris scriptoribus vsitata, dicitur *renouari spiritu &*  
*induere nouum hominem* Eph. IV. 23. 24. Col. III. 10. Tantum  
 igitur abest, vt cultus externus, lege præceptorum in  
 placitis subnixus, credentes sub V. T. ad iustitiam ope-  
 rum abripuerit, ipsisque hanc vanam persuasionem in-  
 generauerit, suo se satis fecisse officio, si in externis cul-  
 tus cærimonialis operibus se actiuos præbuisent; poti-  
 us ad internum animi cultum hoc ipso manu quasi du-  
 cebantur. Addimus (III) sapientissimum legislatorem  
 COR remotum cupiuisse, vt sui cultores doceret, in cul-  
 tu diuino hominem vnice a deo, eiusque sapientia pen-  
 dere, adeoque omnem propriam sapientiam, omnemque  
*ἰδιόθρησκείαν* deuitandam. Defectus CORDIS notat de-  
 fectum sapientiæ, consilii atque prudentiæ §. XIII. Sacri-  
 ficiu igitur in altari paratum, reiecto corde, hominis  
 per-

personam sistens, designat hominem ab ore ac sapientia  
supremi numinis vnice pendentem, nihilque sibi, nec  
proprie sapientie tribuentem. *Mundus quippe per suam sa-  
pientiam, deum in sua sapientia non cognoscit.* 1. Cor. I. 21. inque  
dei lumine salutari ac lætifico lumen sapientie, cognitio-  
nis, omnisque beatitudinis videmus.

§. 15.

Quod si denique sacrificia hæc respicimus quatenus  
typi ac representamina perfectissimi sacrificii Christi ex-  
stiterunt, quem pariter deus ὑπερ ἡμῶν ἀμαρτιῶν ἵποησεν.  
2. Cor. V. 21. quique animam suam posuit ΔΩΝ sacrifici-  
um pro culpa & reatu Jes. LIII. 10. habebimus certe infi-  
gne testimonium incredibilis Φιλανθρωπίας, qua optimum  
numen nos misellos homunciones est profecutus, lucu-  
lentum item documentum amoris, quo Christus victima  
pariter atque sacerdos noster in nos est inflammatus,  
quod errores, inconsultam temeritatem, imprudentiam  
ac inconsiderantiam nostram in se suscipere, pro iisdem-  
que satis patri suo facere voluerit. Christus, qua victi-  
ma & sacerdos, sistit personam *ἁετικῆν*, adeoque funda-  
mentum illorum attributorum, quæ ipsi in illa *relatione*  
adscribuntur, non quarendum est in *persona dignitate*, sed  
in *natura relationis*. Quando igitur Christus queritur:  
נכחתי אתה ידעת לחולתי ואשמותי ממך לא נכחתי *Deus*  
*tu nosti stultitiam meam & reatus mei te non latent.* Ps. LXIX. 6.  
conf. Ps. XXXVIII. 5. nostra est stultitia, nostri sunt reat-  
us, quibus nos iustitie diuinæ obstrinximus: hos in se sus-  
cepit, vt vi meriti exstingueret, nosque deo reconcilia-  
ret, *μετριοπαθεῖν δυναμὲν τοῖς ἀγνοοῦσι καὶ πλανωμένοις ἕπει*  
*καὶ αὐτῷ περικεῖται ἀδυναμία* Ebr. V. 2. Nec hoc quid-  
quam internæ ac propriæ dignitati personæ ac valori sa-  
cificii Christi derogat. Cum enim sacrificia typica V. T.  
peccata tollere non possent Ebr. X. 11. ipse solus dignus est  
inuentus, qui כפר *redemptionis pretium* inueniret Job. XXXIII.

24. quique vnico sacrificio consummaret in perpetuum sanctificandos Ebr. X. 14. Cumque in plerisque sacrificiis COR reiceretur, quo minus ad altare adduceretur, hic solus cum fiducia tamquam consummatissimus sacerdos accedere potuit. Egregia sunt in rem nostram verba JEREMIAE XXX. 21. *Et erit magnificus ex ipso & dominator ex medio eius & accedere faciam illum & adpropinquabit mihi. Quis enim est ille, qui in fidem suam recepit COR suum, potuit tibi promittere, se COR suum firmum praestitutum, vt accedat ad me, vel aliquid suo iure petiturus, vel pro aliis sacrificium oblaturus, verba sunt magni Theologi JO. COCCII (62). Vnde simul imperfectio sacrificiorum legalium & perfectio sacrificii Christi dispalescit. Postremo, si sacrificia eucharistica symbolice repraesentant hominem, diuinis mactatum beneficiis, eorundemque memorem, inque preces & gratiarum actiones effusum, absentia cordis notavit: hinc quidem naturalem ad hoc ipsum pietatis officium ineptitudinem ac diffidentiam cum fiducia accedendi ad solium gratiae; inde vero praesentissimum Spiritus S. auxilium, qui subuenit nobis, vbi ignoramus, quid & quo modo oraturi simus Rom. VIII. 26.*

§. 16.

Cum igitur in his rationibus, ob quas COR holocaustis adfuisse, a reliquis vero sacrificiis abfuisse iudico; nihil omnino, me quidem iudice, est, quod *analogia fidei*, ad quam, ceu lapidem lydium, omnes rerum sacrarum demonstrationes sunt exigendae (63), aduersetur; contra ea ad vnum omnes ita sunt comparatae, vt perfectissimum Christi sacrificium commendent, patrumque fidem atque spem in illo repositam declarent §. XI. XV. qui imperfectione cultus Leuitici cognita, ad Christum, veri nominis sacerdotem atque victimam adspirant. §. XIII.

(62) Lex. p. m. 320. (63) Rambachius instit. hermen. L. II. c. I. §. 14. p. 92.



hominem impuritatis congenitæ arguant, quo de depou-  
nendo vetere homine & induendo nouo serio cogitare  
incipiat, sicque rationalem cultum deo præstare adnita-  
tur §. XII. XIV. nullus fere dubito, quin B. L. qui veri-  
tatem sectatur, æquum iudicium de his meis meditatio-  
nibus sit laturus. Scripturæ primarius scopus hic est, vt  
*homo Dei perfectus euadat, ad omne bonum opus aptatus* 2. Tim. III.  
17. *omnisque homo perfectus sistatur in Christo Jesu* Col. I. 28. in  
quem omnes rerum sacrarum demonstrationes collimare  
debent, quod acutissimus Basileensium theologus SAM.  
WERENFELSIVS solide ac pie adstruxit (64). Quis-  
quis igitur, victimam ad altare adducens, quas in de-  
monstratione nostra produximus cogitationes, cum ani-  
mo suo voluit, non potuit non de peccati grauitate, e-  
iusdemque sordibus cogitare, adeoque viam circumspi-  
cere, qua ab illis vindicari possit, quo sic se deo victi-  
mam sanctam, viuam, deoque placentem sifteret. Co-  
ronidis ergo addamus illud AVGVSTINI (65): *proinde ve-  
rum sacrificium est omne OPVS BONVM, quod agitur, vt san-  
cta societate inhereamus deo, relatum sc. ad illum finem boni, quo ve-  
raciter beati esse possimus. Vnde ipse homo dei nomini consecratus &  
deo deuotus, in quantum mundo moritur, vt DEO viuat, SACRI-  
FICIVM est.*

---

(64) orat. de scopo doctoris theologi opuic. p. 387-405. (65) de  
C. D. L. X. c. VI.



**V**ictima si quondam sine puro corde Jehovah  
Non placuit; placeat monitum hoc, charissime RÜBNER!  
Si quoque vis prorsus supero, semperque placere;  
Huic & redde tuum Cor totum, pectus & ora.

*Hicce, cum non ita pridem de Corde, Deo  
cedendo, cum applausu concionanti, tum  
nunc (forte non sine omine fausto) de  
Corde victimarum dissertanti, Amici vni  
ex alyiis quondam integerrimi optima  
spei filio, congratulari voluit*

**TILEMAN. HENR. SIEGEL,**  
Conc. Reg. Aul. & Prof. Theol.  
Ord.

---

**C**OR, Tibi quod rectum Deus est largitus, *Amice!*  
Cur, rogat, haud fuerit victima COR pecudum?  
Quærit & inquirat causas, & discutit omne,  
Quicquid Hebræorum nunc Synagoga docet,  
Sed cunctas, quotquot fuerint, vix Ipse moraris,  
Dum Te præcipua hæc cura laborque tenent,  
Quo bene purgatum vitiis COR possit Jovæ  
Sisti ac offerri, ut victima grata Poli.  
Nam licet ingenium studiis, Tu COR tamen ornas  
Plus pietate, Deo ut CORDE placere queas.  
Macte Tua hac virtute, precor, Tua cæpta secundet,  
Corque Tibi purum seruet ubique Deus!

*His Præstantissimo Dissertationis huius  
defendenti, Juveni litteris ac moribus  
admodum commendabili, Auditori-  
que suo maxime industrio, faustissima  
quæque precatus adplaudit*

**JOH. DAV. GRILLO,** Philolog.  
Prof. Publ. Ord.



**C**OR vetus ac multis pollutum sordibus aufert,  
COR purum atque nouum reddit itemque DEVS.  
Quod natura negat, Supremi gratia pensat,  
Sed simul hic repetit; quod fuit ante suum.  
Quare felices, quos tanto munere maectat  
Numen, quosque sua vindicat vsque manu.  
Sorte hac caelesti TE met, doctissime RÜBNER,  
Gratia dignata est Numinis alma boni.  
COR pectusque TVVM, qui fingit & omnia format,  
Sedem sacrauit, Spiritus ipse Dei.  
CORDE hoc ornatus, TV semper victima sancta  
Existas, ignis Spiritus intus agat.  
Sic pariter post hæc alios adducere Christo  
Cum fructu poteris. Fac rata vota DEVS!

*Hiscæ animum suum in Praestantissimum  
Dom. Respondentem, Juuenem do-  
ctrina, virtutumque decore ac mo-  
rum elegantia conspicuum admodum,  
declarat, utque Deus omnia ipsius  
capta benignissime secundet, ex ani-  
mo vouet*

#### PRAESES.

**H**och und Lieberthster Freund  
Da heut Dein Fleiß erscheint /  
Und Dein gelahrtes Wissen  
Uns öffentlich geschickt entdeckt /  
Was in Dir ist und wohnt / und steckt:  
So hab ich Dir hiemit die Zeilen lieffern müssen.  
Steig mehr an Weisheit fort /  
Bis Du den letzten Port  
Der Ehre hast erreicht:  
Und Dich dergleichen Glück umfaßt /  
Als Du in Deinem Sinne hast /  
Und lebst / und siehest so / daß Ehr und Glück Dir wecket.  
P. E. de ROSENPVSCH,  
Eques Siles.

**L**audabunt alii studium, moresque venustos,  
Quæque *Tuum* decorant nobile pectus, opes.  
Hæc ego non tangam, quamvis id forte deceret;  
Ne dicar laudes diminuisse *Tuas*.  
Fœdus amicitia, (nam quid divinius illo?)  
Candoremque *Tuum* laudo, fidemque *Tuam*.  
Dignus amicitia fidi, si vivat, Orestis,  
Dignus es Aonia, dulcis *Achate*, Lyrâ.  
Certe ego non potui, sed nec dilecte sinebas,  
Unquam de tanta me dubitare fide.  
*Te* Deus, & quorum terra peregrinus in hacce  
Dignor amicitia, mactet amore pari.  
Hoc peto, (si quisquam est precibus locus, annue voto)  
Impressus teneat nomina nostra liber.  
Et cum posteritas opus hoc leget undique clarum,  
Esse mei memorem *Te* voluisse sciat.  
*Tu* vero quoties cernes rude nomen in illo;  
Hic etiam, dicas, noster amicus erat.

*Ita*  
*Clariss. ac Nobiliss. Dnum. J. H. Rüb-*  
*ner, Amicum suum in paucis charum,*  
*hactenus desideratum hoc opus defen-*  
*surum, compellabat*

S. NADVDWARIUS,  
Transylv.

**B**randenburgiæ non inficianda Juventæ  
Gloria, sume *Tua* præmia militiæ.  
Primitias veris blandi, primamque corollam,  
Quam Pallas propriis texuit articulis,  
Et Patribus nuper Viadrinis ipse Deorum  
Nuntius, ut tulerat, sic fudit ore sonos:  
Has Veris Violas & odoræ munera lauri  
In Viadri ludo dignior accipiat.

Dignior atque suos violis ornare capillos  
His debet, hæc circum tempora laurus eat.  
Arcadiæ cives procul hinc arcete profanos,  
Polluat ut nullus ferta sacrata Davus.  
Nuncius hæc ubi dicta dedit, sanctissimus Ordo  
Confluit, ut digno digna corona detur.  
Moxque suo RÜBNERE Tibi decernit Alumno  
Ordo Patrum, doctæ præmia militiæ.  
Te dignum ut videant cuncti, testisque futura  
Sit Tibi posteritas, publica templa pete.  
Atque locum sacrum doctis sermonibus imple,  
Te dignum ut lauro nullus in orbe neget.  
Sique petant hostes telis, Tu tela retorque,  
Percellant pugiles Verba diserta Tuos.  
Sic merito in docto toto celebraberis orbe,  
In Tua sic fiet vota Deus facilis.

*Hæc Ornatiss. atque Doctiss. Dno Respon-  
denti ab ætissimum amicitia vincu-  
lum adscribere, omnemque prosperri-  
marum rerum successum ex singulari a-  
nimi, cordisque affectu apprecari vo-  
luit & debuit*

C. E. SVASIVS, Mittenwald.  
Meso-March. S.S. Theol.  
Studiofus.


---

**M**Ufarum decus & superum sanctissima cura,  
RÜBNER, quin patriæ spes quoque magna Tuæ!  
Hactenus ignavam captata per otia vitam  
Ducere, vel tempus perdere displicuit.  
Sitque fides dictis, nil Te vitasse laborum,  
Effectus docta nunc ratione probat.  
Vulgaris fert sermo; trahit sua quemque voluptas:  
Sic Tuus hic genius gestiit esse suus,

Scilicet addicto Musis, fuit unica cura,  
Doctorum gnava volvere scripta manu.  
Hoc nunc declarat *Tua* Dissertatio docta,  
Pandis & illustras mystica facta Dei.  
Gratulor ergo *Tibi* specimen, peramande sodalis!  
In summa vivas prosperitate diu.  
Hoc precor ex animo; mea nunc optata secundes,  
Tu sine principio, Tu sine fine Deus!

*Paucis his Nobiliss. atque Doctiss. Dno.  
Respondenti, Amico suo candido, ex  
animo gratulans adplaudit.*

**NATHAN. GOTTL. STANNIVS,**  
Gustena-Anhaltinus, S. S. Theol.  
Stud.



99 A 6957

ULB Halle

3

002 826 607



86

V3 17  
VDIS

Retra ✓







EXERCITATIONIS PHILOLOGICAE

DE

# VICTIMARVM CORDE AD ALTA- RE DOMINI NON ADDVCENDO



MINE

AELIS,

tem Scholæ

BENER,

pl. Cultor.

ORI

CXXX.

submittunt.

VM,

RI SCHWARTZII.

